

tria ex his tantum connumeret , alij addiderunt, quartum) & suauius est aceto , & vi-
num oxymelite , & melicratum magis oin-
nibus familiare est , atque vtile. Mens au-
tem Galeni est , (vt ad principale reuertar)
vt quod est in ventriculo , aut concoquatur,
si natura moram fert , nec adsit periculum
maiis vel expellatur vomitu , cum in eo
vna sit difficultas , vnum sit periculum , in
aliis auxiliis plura , & maiora , & euiden-
tiora , aut dimittatur solùm , sed non expel-
latur , aut hiera educatur , ea quæ nomen ab
illo consecuta est . Quod si secus facias , pro
errore sit : nondum inuenta scilicet via præ-
parandi succū centaureæ , qui etiam aut pa-
rum , aut raro erit necessarius , vt enim iuuet ,
& nihil noceat , concoctio facit , si autem
concoqui non possit , palam est vomitum
minùs lädere , celerius opitulari , ac securius
breuis via lata à voluntate , ab auxiliis
iuuari potest : si ergo vomitu expelli non
potest , præstat , aut subduci , aut minore
negocio solùm ad inferna , vt natura minore
labore terreatur , aut si modò educenda
est extra annexam , separare à tunicis ipsis ,
imbibitam auellere in concavitatem , len-
tam dissecare in partes , crassam attenuare ,
demum impedire omnibus auxiliorum viis
ad optimum (& cur tale , iam dictum est)
recurrere oportet .

Nunc verò iam cœptum sermonem ab-
soluamus . Deerant ad cibos duo principa-
les , sal , & oleum , vt numerus vndicima-
nus expelleretur , elementorum autem qua-
tuor miscibilium , siquidem vt declarabitur ,
sal ignis vicem refert , oleum , pinguis car-
nium , piscium , ouorum , lactis , & omnium
partium eius : hoc alimur , illo , vt tali possumus , fit . Dicemus autem paulò pòst de eo-
rum natura : nunc tantum , vt proposito
nostro conuenit . Oleum ergo fermè totum
si purum sit , transit in alimentum , & optimū
robur addit , mollit ventrem , omnem asperi-
tatem tollit , visum acuit , venenis omnibus ,
omni pesti , omniq[ue] putredini resistit , so-
lum ipsum rectè salso copulatur , eiusque re-
tundit & mulcet acredinem , impinguat , bo-
num habitum restituit , calorem bonum
præstat , fractis , ruptis auxiliatur , & omne
doloris genus mulcet , & mitigat , lassitudi-
nem tollit , cariem à lignis , à metallis æru-
ginem prohibet , picem , resinamque separat ,
omne animal non legitimè natum per-
mit , cunctorum medicaminum vires atque
odores imbuīt , vetustate sit tenuius &
potentius , sed ed minùs quò magis medica-
mentis , vtile cibis , omne mixtum oleo
constat , sed maximè semen , atque ideo
semina plurimum continent olei , & quæ
plurimum continent , ex eo sunt fœcunda ,
vt raporum , & eius generis : nuces autem
omnes plurimum continent , ponticæ auel-
lanæ , amygdalæ , pistacia , pineæ , nuclei per-
fisorum , chrysomelorum , cerasorum , pha-
seli Indici , nostrorum etiam . Semen pro-
uocat vrinam , & laxat ventrem , & cum
hoc roborat . Oleum præterea auget iecur , &
cerebrum , ac medullas , ob substantia tenui-
tatem , ac densitatem . Est etiam oleum
substantia tenuius adipe , indicio quòd

Olei vires .

Omne mixtū
oleo constat .

Oleum adipe
substantia te-
nūs .

Anseris ma-
rini oleum .

Tom. VI.

adeps vetustate in oleum transit , & anse-
res marini in vesicula oleum continent ,
quod & ad dolores , & ad coria (vt audiui)
mollienda , vtile est , & ceracea omnia
oleum mittunt , maximè quæ consenserunt .
Iam liquet igitur , quòd si adeps , consumpto
aqueo , & attenuata substantia illius , ac
repurgatus à fæce , transit in oleum ,
quòd oleum est tenuius , purius : & pin-
guis adipe animalium . Idque fecit natura
rectè , quòd ob exercitationes , si purum esset
pingue animalium , citius defassarentur ,
& adureretur eorum corpus , ob id in pis-
cibus oleum genitum est , vel adeps oleo
proximus : quamvis enim exerceantur , ne-
mo tamen gloriari potest , viuum pisces
ex fuga erectum perniciosis vndis sensisse
calentem . Purius ergo oleum , tenuius
que adipe , at non calidius , quoniam ex his
quæ motu parent , potissimè fit , vt dixi ,
seminibus & lignis plantarum : sed etiam ne
si adeps purus esset , animalium corpora
exurentur . Et ob id cùm vita oleo in plan-
tis , adipe in animalibus constet , longè
viuaciores sunt plantæ , vt ola , quercus , vi-
tis , palma elephantis , camelis , serpen-
tibus , & animalibus , quæ in aqua de-
gunt . Et inter animalia quæ plantis ves-
cuntur , elephas , camelus , ceruus , leone , tigri-
de , panthera , & etiam homine . Et nostra
æstate Brachmanes Indi , licet gaudent te-
nuiore & meliore aëre , plus tamen nobis ,
& aliis viuunt , quòd neque carnibus , nec
pisibus , nec vino vtuntur : Hæc enim om-
nia violentiam vitæ afferunt . Ergo & in-
ter homines qui fructibus , veluti cum ge-
nere , & aqua vescuntur , longioris vitæ
multo erunt , cum purius alimentum fu-
mant . Verisimileque est , vt quemadmodum
potum optimum vbiique terrarum commu-
nicauit Deus aquam optimam , pluviā
scilicet , ita & cibum , qui fructibus ,
arundinibus , melleque constat . Oportet
autem assuēscere his paulatim , & non serd ;
qui velit beneficio hoc vti . Sed vt ad oleum
reuertamur , dices si oleum non est calidius
adipe , quare plus confert ad vitam ? & si est
purius eodem , cur non calidius ? Dico quòd
oleum trifariam adipi comparari in calidita-
te potest , vel vt facile ardet , & sic est calidius
non parum , quia purius , & tenuius , vt stipu-
la , sed stipula densa non est , oleum autem dé-
sum , cùm serd absumatur ; facilis itaq[ue] ardor
& accenditur oleum adipe , & accensum ex-
tinguitur difficilius , adeò vt si coneris aqua
superinfusa , ad laquearia usque flamma erū-
pat , quoniam calidius est . Sumptus etiam in
cibo adeps , frigidior est non parum oleo , &
pituitam generat , & aquosos humores , quia
impurior & aqueo ac terreo refertur ele-
mento . Extra autem adhibitus calidior est ,
quia crassior , & magis terreus , exemplo
Solis in æstate , quòd adeò calefacit aërem ,
quamvis Sole à nobis recedente in mense
Iulij , & lateres calefacti quantum pulu-
naria , & laneæ vestes , ac pelliceæ , magis
excalefaciunt pedes , quam hæ vestes , licet
multo natura frigidiores sint vestibus , vt
qui creta solum & aqua constent . Ergo
oleum calidius est adipe in cibis sumptum ,

*Cur plantæ
longè viua-
ciores sint
animalibus .*

Cuprachma-

næ Indi pla-

vobis vinane .

*Obiectio ,
Solutio .*

*Adeps pitui-
tam generat .*